M. 600 n. 13

IN ACADEMIAE
Almi Regalis Collegii Theologorum Neapolitani ortum

ORATIO

CAROLO BORBONIO
UTRIUSQUE SICILIAE REGI

A

CAJETANO CONFALONE
Congregationis Montis Oliveti Abbate privilegiato, Dioeceſeos Neapolis Examinatore, Excellentiſſimae ejuſdem Urbis Theologo, ac praeſati Collegii Vicemagno Cancellario dicata.

NEAPOLI MDCCLI.
Apud Joannem de Simone Almi regalis Collegii Theologorum Typographum

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLO BORBONIO

SERENISSIMO UTRIUSQUE SICILIAE
REGI
BONARUM ARTIUM,
LITERARUMQUE OMNIUM
IN NEAPOLITANO REGNO REDUCTORI,
ET REFORMATORI
LITERATORUM PATRONO GENEROSISSIMO

CAJETANUS CONFALONE

ORATIONEM PRO ACADEMIAE
ALMI REGALIS COLLEGII NEAPOLITANI
ORTU HABITAM
PERPETUUM GRATI ANIMI TESTEM
D. D. D.

Q*Uamquam*, SERENISSIME REX, *multis obaeratum nominibus me Abellinatum Principi, Magno Regni Cancellario, profitear; id tamen potiſſimum eſt, cur eidem gratias habeam immortales, quod ad vices ſuas ſubeundas adlectus, viam veluti ſtra-*

Digitized by Google

verit, qua tuis advolvi pedibus auſpicato liceret; mihique omnibus naturae, artiſque praeſidiis deſtituto, ad tam ſingularis gloriae faſtigium pateret acceſſus. Fruar igitur tam excellenti fortunae beneficio; nec praeclaram adeo nanciſcendi patrocinii tui occaſionem oſcitanter e manibus labi ſinam. Multa fuere profecto, quae me ſub initium ab hoc aditu laudis non removerent modo, ſed abſterrerent omnino; cum viderem obſequentis animi mei reverentiam tantae amplitudini parem afferre non poſſe. Audaciae notam verebar, quod mei pene immemor, paucis hiſce pagellis tuum voluerim in conſpectum venire, oculoſque laceſſere. Sed metum omnem, quem ipſa nominis tui Majeſtas incuſſit, e veſtigio deterſit penitus; atque adeo praeſidentem fecit eximia illa humanitas, qua Collegium Theologorum per Regiam S. Clarae Aulam ſarciendum, inſtaurandumque ſuſcepiſti. Ex eo quippe ad bene de me ipſo ſperandum, ſignum aliquod ſuſtuliſſe viſus es. Nec mihi perſuadere poteram, me cum illo honorum ſocietate non iri conjunctum, quicum arctiſſimo ſocietatis nexu conjungerer. Patere igitur,

Rex

Digitized by Google

Rex inviċtiſſime, impolitam hanc orationem, Collegii faciem referentem, nomine tuo tegendam, a me tibi ſiſti; ac veluti ſpecimen jam reſtituti Collegii accipere ne dedigneris. Ea quippe, ea eſt indoles ingenii tui, ut nativis quibuſdam igniculis ad litterarum tutelam feraris. Non aliunde acceſitus, ingenitus tibi liberalium diſciplinarum amor, cum ſanguine a majoribus tuis accepiſti. Et ſane niſi inconcuſſa Annalium fides, tot tantiſque Scriptoribus perpetuo firmata, ab Carolo inter Caeſares Magno (per quem bonae artes diu conſepultae, tandem aliquando revixere) Te originem tuam repetere luculentiſſime comprobaret: idem ipſe, poſthabito veterum ſuffragio, per te dilucide evinceres. Heredem tanti Principis oſtenderet Studiorum Univerſitas in hac principe Regni Urbe ex integro veluti reſtituta, ac regia bibliotheca donata. Oſtenderet Gymnaſium publicum Petiliae regia munificentia excitatum pro illorum commodo populorum, queis ad hanc Urbem difficilis patebat acceſſus. Et ſi cetera deeſſent, oſtenderet denique Collegium hoc noſtrum theologicum diu tenebris obſitum, a Sa-

cra

cra Majeſtate tua priſtino nitori reductum, adque tantam per te exiſtimationem deventum, ut cum Germanicis, Gallicis, Hiſpanicis, ceteriſque demum Europae inſignioribus Academiis jam de dignitate certare videatur. Haec quippe ita praeclara ſunt, ut eorum decus nulla unquam obſcuratura ſit aetas. Reliquas igitur praeclariſſimas tuas res cum domi, tum foris geſtas recenſere praetermittens, Deum Opt. Max., ut diu Sacram Majeſtatem Tuam cum Sereniſſima Conjuge, ac Sobole ad populorum tuorum felicitatem incolumem, florentemque praeſtet, obteſtabor. Ad tuos tandem pedes provolutus, & fidens tum benevolentiae erga Collegium hoc noſtrum, cui Clariſſimi Praedeceſſores tui tot jura contulere, tum humanitati tuae, quae inter ceteras tuas virtutes eminet, Te rogo, atque obſecro, ut publicum hoc obſequii mei pignus aequo, libentique animo excipias. Quod ſi fuero conſequutus, erit profecto, cur ego de me magnifice ſentiam, & mei Collegae omnes in hoc tametſi levi monumento clariſſimam nominis tui gloriam, animique magnitudinem admirentur, & praedicent.

ORA-

O R A T I O.

QUod prae ceteris hic adſidentibus praeſtantiſſimis viris de Sacra Doctrina optime meritis , hujus Academiae natalem diem celebrandi munus unus Ego adſumſerim ; haud temere , Patres ornatiſſimi, Auditoreſque Optimi , ſive dicendi materiam , ſive temporis opportunitatem , vel lectiſſimorum hominum frequentiam expenditis , a me factum exiſtimare velitis . Etenim quamvis ſingula iſta hominibus ad dicendum accedentibus timorem non levem facere conſueverunt , mihi tamen laetitiam aeque, animumque vel ceſſantem, vel nolentem ad dicendum impulere . Dicturus enim eram de Theologiae Academia , cui inſtituendae non parum induſtriae, ſtudii, ac laboris tenuitas mea, ope D.Germani Juliani almi regalis Collegii Magiſtri adjuta, contulerat. Facturus inſimul verba de Theologorum Collegio, Regum munificentia excitato , & ab inclyto Sereniſſimo Rege Noſtro CAROLO BORBONIO , quem Deus nobis ſeros in annos ſoſpitem ſervet , priſco , unde majorum noſtrorum deſidia deciderat, ſplendori reſtituto, novoque inſuper nitore adaucto, cujus regimen Abellinatum Principis Magni Regni Cancellarii nomine impraeſentiarum immeritus gero . His accedit vehemens amor, & ardor, quo ad honorem, & decus huic Collegio, quod inglorium, & inerti ſitu ſqualidum diu jacuit , comparandum incenſus , feror . His animo ſeſe obverſantibus, tantum abfuit, ut dicendi onus detrectarem, quin mihi votis omnibus expetendum, & libenti, accenſoque animo adripiendum cenſuerim. Qui mecum

ita

Digitized by Google

ita ſentiet, nullius certe temeritatis, quod unus ego in hunc lectiſſimum illuſtrium virorum conſeſſum ad dicendum ſurrexerim, me redarguet, ſed obſequentis, accenſique animi mei votis humaniter ignoſcet. Hac ego cogitatione erectus, & confirmatus, ſtadium hoc litterarium ingredi non dubitavi. Etenim ſi quid eſt in tanta honoris amplitudine jucunditatis, ut certe debet eſſe plurimum, ejus ego fructum, non niſi facto virium mearum periculo, percipere me poſſe ſpero. Age igitur, ad ea, quae jam animo deſtinavi, adgredior. Et quoniam in nullo commodius argumento orationem meam verſari poſſe cenſeo, quam in hujus illuſtris Academiae, quam ſub fauſtiſſimis Regis Noſtri CAROLI BORBONII auſpiciis natam gloriamur, vel indole, vel munere exponendo: illud potiſſimum exponendum arbitror, quae ejuſdem ſint munera. His ſummatim delibatis, quae litterarum a primis earum in Europa incunabulis ad hoc uſque Collegium noſtrum Theologicum fuerint fata, enarrabo. Mox quid Theologiae praeſtet Academia, quae hujus curae, qui uſus, & quanta demum in illa excitata Auctorum ſit gloria.

Intelligitis, Reverendiſſimi PP., Auditores Ornatiſſimi, haec Orationis capita invitationis loco eſſe ad conventus noſtros; neque hic agi, ut expleantur deſideria veſtra, ſed ut accendantur; neque ut extinguatur ſitis, ſed ut excitetur: neque huic explendae parti, ſermone opus eſt prolixo, aut arte oratoria elaborato. Quamobrem non breviter modo, ſed & ſimpliciter de omnibus, quae propoſui, me dicturum polliceor. Utar licentia, quam dudum ſibi adrogarunt Philoſophi: ſiquidem illi legibus eloquentiae, quas jamdudum deſeruiſſe ajunt, ſoluti, veniam certe conſequuntur, ſi rerum potius momentis Auditorem abripiant, quam ſi demulceant verborum lenimentis. Pretium ſcilicet ſermonis facit artis abſentia, quando ornari res ipſa negat, contenta doceri.

Por-

Digitized by Google

Porro ut rem altius repetam, ipſamque Academiarum naſcentium originem in lucem educam, operae pretium facturus arbitror, ſi breviter de Aegyptiorum, Chaldaeorum, Perſarum, Graecorumque litteris initio quaedam delibemus. Aegyptios itaque quod attinet, ſapientiae, ſubtilioriſque doctrinae curam ſolis Sacerdotibus eorum fuiſſe cordi compertum eſt. Cum enim Philoſophiae ſtudia, cumprimis ejus, quae in contemplatione ſita eſt, otium poſtulent liberale, nullis niſi Sacerdotibus permittebantur, queis onerum immunitates, largique redditus, honores, otiumque, Diodoro Siculo fatente (1) redundabant. Quid igitur mirum, ſi omnigenae doctrinae profeſſores hoſce in ſacro ordine extitiſſe Euſebius (2), & Clemens Alexandrinus (3) obſervarint; ipſa nec abnuente Scriptura, in qua Moyſem legimus, omni Aegyptiorum doctrina fuiſſe imbutum?

Quae vero Aegyptiarum ſcholarum inſtituta, eadem fuiſſe pene Chaldaicarum, Perſicarumque, concordi teſtantur ore Diodorus Siculus (4), & Strabo (5). Ad Graecas potius gentes, quae prae aliis litterarum gloria videntur floruiſſe, trajicienda eſt Oratio. His enim, ut magnam partem eruditionis noſtrae, ſic etiam nomen hoc Academiae debemus acceptum (6).

(1) Lib. 1. cap. 17.
(2) Lib. 9. de Praepar. Evang.
(3) Lib. 6. Strom.
(4) Lib. 7. Biblioth. cap. 29.
(5) Lib. 17. Geogr.
(6) Tenendum igitur *Academiam* initio nonniſi locum unum Athenienſium Suburbiorum gymnaſiis inſtructorum audiviſſe. Fuerunt nempe Athenis olim praeter alia ſuburbana tria cumprimis ſplendore aedificiorum, & gymnaſiis celebria: *Academia*, *Lyceum*, *&* *Cynoſarges*. Quorum poſteriora duo praeclare perſecutus eſt *Meurſius* lib. 2. *Athenarum Atticarum* cap. 2. Quoniam vero Platoni in Academia iſthac ſchola philoſophiae publica fuit conceſſa, & quidem omnium primà; hinc ſcholae philoſophicae nomine quam maxime Academia illa Attica inclaruit. Academia quoque omnis plane Platonis ſchola dicta eſt, & qui eam doctrinam amplectebantur *Academici*; qui cum ſententiis diſſenſerint, nata hinc nomina *Academiae Veteris*, *Mediae*, *&* *Novae*. A quibus cum plurimum alii abi-

Digitized by Google

Sunt enim anni fere biſmille , & ducenti , quibus ad Graecos utilium litterarum ſtudia pervenerunt, magnifico quidem nomine, ſed tenuibus initiis, ambiguiſque progreſſibus. Erant pauci quidam (adſcitis enim, quos favor, & adulatio evexit, Tyrannis, numerus non ultra ſeptenarium excurrit) erant, inquam, pauci inter claudos, vel labantes erecti, quos ſophos appellare coeperunt, quoſque ſi penitius perſpicias, modeſtiori hodie philoſophorum nomine vix induas. Mirum profecto emicuit in illis ingenium, ſed tenebris obſitum in plurimis hebeſcebat: vera, quae falſis confuſe admixta emergebant, dies melior ſecrevit, & luce ſua perfuſit. Talia fere ſunt rerum omnium principia, cum privatis auſpiciis difficilia adgredi contigerit. Nulla enim tunc temporis auctoritas publica ſcientiis patrocinata. Nullae conantium ſocietates, communi agentes conſilio. Prout unumquemque aut ingenitus ardor, aut oblatum alterius exemplum, aut fortunae ludentis opera ad meditanda ſive Coeli portenta, ſive naturae arcana, ſive morum indolem impulit: ita ſuum illis ſtudium addixit, laborioſius illud, & minus foecundum, quod primi nullis uti ducibus poſſent; ſecundi primis uterentur, nondum, uti par erat, viarum gnaris.

Cogitate homines aliquot exterarum rerum cognoſcendarum deſiderio accenſos, dare ſe in viam, & quaerere iter per dumeta, nullis antea hominum veſtigiis ſignata; quaerere autem ſingulos non communicato cum reliquis conſilio; quaerere ſuis auſpiciis, nulla adjutos autho-

abirent circa ſeculi Chriſtiani ſecundi, & tertii confinia, extinctum ſenſim eſt ipſum Academicorum nomen, & invaluit Platonicorum appellatio, quemadmodum recte ſcribit S. Aug. lib. VIII. de Civ. Dei cap. 12. Ceterum primo omnium in Italia Romae videtur illa vox reducta in uſum Paulo II. Pontifice: idque non ut olim, de ſpecie ſcholae philoſophicae, aut ſchola ipſa, ſed de Collegio aliquo iſthoc tempore Romae commorantium, & priſcae doctrinae collapſae reſtitutionem aliquam inſtituentium: eoque deinceps in Italia paſſim id genus Academiae inſtitutae, & nunc etiam in frequente ſunt uſu.

authoritate publica. Ex his jam animo percipitis, Auditores, quem illi eventum deſtinationis ſuae habituri eſſent, qui ſcientiarum regiones, nullo antea tritas pede ingredi, & luſtrare ſuſtinuerunt. Mirum illos non plane tota aberraſſe via! Teſtantur autem emicantes paſſim radii veritatum, non omnem illorum conatibus ſucceſſum defuiſſe. Atque ut eximii nihil feciſſent primi illi cum Thalete Mileſio, niſi quod indicaſſent, & jam ſignata reliquiſſent poſteris veſtigia, exantlati certe laboris gloriam primam, uberrimamque meruiſſent. Pervenias enim a Thaletis anno quinquageſimo nono, quo ſophi titulum Oraculi occaſione acceperat, primo ſtatim ſeculo ad Pythagoram in Italia, ad Anaxagoram Athenis docentem; ſecundo ad Socratem, Democritumque, & Platonem; tertio ad Ariſtotelem. Atque hi non jam ſe ſe intra ſcientias continere ſuas vel voluerunt, vel potuerunt; maluerunt inter plures diffundere, quae ſibi detexiſſe viſi ſunt, admiſſuri, aliquando etiam quaeſituri auditores, quos ſua docerent ſtudia, & ſententias.

Quum res ita ſe haberet litterae faciliores adceſſu eſſe coeperunt. Hinc multa in litterarum cultores redundavit commoditas, redundaſſetque etiam utilitas in rem omnem publicam, niſi diſſidia interceſſiſſent, & rixae philoſophantium. Quos profectus ſperare non licuiſſet, ſi Porticus, & Academia, Lyceum, & Horti conſenſiſſent ad inveſtigandam communi conſilio, tradendamque communi opera veritatem? Si certa ab incertis, a falſis vera, utilia a ſuperfluis apte, & concorditer diſtinxiſſent, convertiſſentque ſtudium ſuum ad optima? Si non eminere ſinguli ſupra omnes, ſed junctim univerſi ad altiora adſpirare maluiſſent? Id quando male conſulti neglexerunt, laudem quidem in eo merentur, quod acroateria aperuerunt, & in inſtituendis aliis operam inſumſerunt. Aſt in illo dedecus incurrunt, quod gloriae magis, quam veritati ſtudentes, quibuſcumque poterant artibus ſectam augere, & evehere ſuam, detrahe-

Digitized by Google

trahere ceteris connixi ſunt . Quo factum eſt , inquit clariſſimus Conringius , *illarum philoſophicarum ſcholarum varietatem in detrimentum potius Reipublicae natam fuiſſe , quam in emolumentum doctrinae* (1) .

Neque ſolum haec labes Graeciam invaſit : quandiu privatis tantum auſpiciis cultae ſunt inter Italos litterae , aut Pythagoram Magiſtrum ſequuti ſunt philoſophantes, aut ex Graecis unum , vel plures : Eclectici enim ſi qui videri voluerunt , compilatione potius ex diverſis antecedentium dictatis titulum quaeſivere illum , quam ingenua in veritatem per ſe ſe eruendam inquiſitione meruerunt . At iſta promiſcua quidvis ſentiendi , ac docendi licentia deſiit , actutum Chriſtiana Religio omnibus ſectis illis contritis , unice ſuper omnes venerabilis effulſit.

Verum enim vero haud diffitendum, ipſammet Chriſti Religionem , quoad mores , doctrinaeque capita vel ab Apoſtolorum aetate varias indies perſecutiones ſubiiſſe . Hinc haereſes eam invadentes ; inde ſupplicia undique ad Chriſtianos perdendos conquiſita . At nequicquam valentibus cum Imperatorum armis , tum Philoſophorum argutiis, mire Chriſtiana Religio invaluit , ac longe , lateque propagata . Ecquis vel leviter hiſtoriam ſacram ad ſeculum uſque decimum quintum perluſtraverit , qui & Gnoſticos , Novatianos , Arianos , Neſtorianos , Eutichianos , Monothelitas , Iconoclaſtas , Photianos , Waldenſes , atque ſexcentis aliis miſſis , vetuſtarum omnium haereſum ſutores Orthodoxam fidem impetiiſſe ignoret ? Tantum vero abeſt , ut eam tot fulmina , tonitruaque perdiderint , quin potius indies creverit , altiuſque radices egerit , Oecumenicis habitis ubique gentium , ac locorum , ad virus extinguendum , Conciliis , quae hucuſque temporis orientalia inter atque occidentalia octodecim numerantur : Erectis quoque plu-

(1) De antiquit. Academ. Diſſert. 1. § XXII. pag. 18.

pluribus in locis ſacrorum ſtudiorum gymnaſiis , Alexandriae praeſertim , Berythi , Niſibi , Byzantii , Antiochiae , Laodiceae , Carthagine , Romae , quae Chriſti milites erudiendos ſuſciperent , alerentque ; quorum teſtes locupletiſſimos Hieronymum , & Euſebium habemus (1).

Poſt Conſtantini Magni tempora dolendum nobis maxime eſt , remiſſius culta fuiſſe litterarum ſtudia : immo

(1) De ſcholis Theologicis tam orientalibus , quam occidentalibus , diſerte , ac copioſe ſcripſit clariſ. Auliſius libro italice concinnato , cui titulus : *Delle Scuole Sacre*.

Juvat interim nonnihil hic obiter de Theologiae fortuna ab Apoſtolorum aetate ad haec uſque tempora deguſtare . Sacra quidem erudimur hiſtoria , Apoſtolos doctrinam ex ore Chriſti libatam , philoſophicis tricis vacuam , nativa ſimplicitate conditam populis tradidiſſe . Vulgus fidelium ut erudirent SS. PP. Apoſtolorum exempla , & inſtitutionem ſequuti , ab iis tradendis abſtinuere , quae magis quaeſtiones praeſtant , quam aedificationem (1. ad Timot. cap 1. v. 4.) Dei , quae eſt in fide . Hinc theologica eorum opera vel catecheſes ſunt , vel homiliae , vel ſermones , vel Epiſtolae . Si quid itaque difficile , & arduum , ſpinoſumque apud illos inveniatur , illud profecto dici debet , quod contra Haereſes ſcripſere . Hoc in capite principes fuere Ignatius contra Simonem , Menandrum , & Ebbionem ; Irenaeus contra Valentinum , & univerſam Gnoſticorum Sobolem ; Tertullianus contra Marcionem ; Cyprianus , & Pacianus Barcinonenſis in Novatianos ; Athanaſius , Hilarius Pictavienſis , Ambroſius , & Auguſtinus contra Arianos ; Baſilius Magnus , atque Gregorius Nazianzenus in Eunomianos ; Optatus & Auguſtinus contra Donatiſtas ; Theophilus Alexandrinus in Origenem ; Hieronymus contra Jovinianum , Helvidium , Vigilantium , & Pelagium ; Titus Boſtrenſis , & Auguſtinus contra Manichaeos ; idem Auguſtinus contra Joviniani , & Pelagii Sectarios ; Cyrillus Alexandrinus contra Neſtorium ; Leo Papa adverſus eundem Neſtorium , Eutychetem , & Priſcillianiſtas ; Sophronius Hieroſolymitanus , & Divus Maximus contra Monothelitas ; Joannes Damaſcenus , & Theodorus Studita contra Iconomachos ; Divus Anſelmus contra Graecos ; ac Divus Bernardus contra ſuae aetatis Haereticos .

In his enim Patrum ſcriptis ſcholaſtica quaedam elucet , ſeu , ut melius dicam , ratiocinandi methodus , quae cum recentiori ſcholaſtica , ſive argumentandi ratione , nequaquam pugnat . Nihilo tamen ſecius vel invehendae novitatis amore ducti , vel inventis rebus nonnihil addendi cupidi alterius aetatis ſcholaſtici , quum animadverterent multa in antiquis Patribus confuſa , neque , ut par erat , diſtincta , quo illa in aptum adducerent ordinem , cogitarunt Theologiam per articulos , variis ſub titulis diſtributam , ad ſuprema quaedam capita revocare , ut multa illa ,

mo Saracenis Orientem vaſtantibus, Europamque invadentibus Gothis, Oſtrogothis, Vandaliſque, illa penitus interdicta. Putabant enim ſtodiliſſima haec capita, diſciplinarum ſtudio hominum ingenia frangi, & ad otium inclinari: Eaque erat inprimis egregiae fortitudinis commendatio, ſi quis ne ſcribendi quidem artem tota vita didiciſſet. Ad Eccleſiam tamquam ad Aſylum confugerant pulſae undique litterae, jamque obtinuerat conſuetudo

illa, & lauta divitiarum ſuppellex, quae incompoſita nullius ferme utilitatis erat, prodeſſet omnibus in ordinem digeſta; quum ordo cognitionum omnium, atque ſcientiarum fons ſit, & origo.

Seculo ſeptimo Tayonus Epiſcopus Caeſar-Auguſtanus ſummam Theologiae ex operibus Sanctorum Gregorii Papae, & Auguſtini collectam elucrubravit. Conſequenti ſeculo Joannes Damaſcenus, qui majori ornatus ingenio, & multa lectione inſtructus, opus confecit uno volumine comprehenſum, ſub titulo *De Fide Orthodoxa*, eruditione, atque doctrina cumulatius: Illud autem in quatuor libros tribuit; quorum primus diſſerit *de Deo ejuſque eſſentia*, *atque Adtributis*; *alter de Creatione Mundi*, *& de Praedeſtinatione*, tertius autem, & quartus de *Myſteriis Trinitatis*, *& Incarnationis*, paucis de reſurrectione mortuorum adjectis.

Novum iſtud inventum illuſtres fecit aditus recentiori ſcholaſticae, quae tamen apud Latinos undecimo ſolum ſeculo exeunte lucem adſpexit, auctore Divo Anſelmo, qui de dogmatis fidei ſcribere ſuſcepit. Quod enim nonnullis placet, ejus originem petendam a Lantfranco Anſelmi Magiſtro, omni veri ſpecie caret: ſiquidem ex operibus ejuſdem Lantfranci, quae ſuperſunt, judicandum ſit. Opera vero Divi Anſelmi eo, quo diſpoſuit ordine P. Gerberon Congregationis S. Mauri, ampliſſimum Theologiae corpus conſtituunt, quo hodiernis etiam temporibus ſapientiſſimi ſcholaſtici, tamquam fundamento uti non dubitant.

Seculo autem proxime inferiori Petrus Lombardus Pariſienſis Antiſtes, Eccleſiae ſuae Paſtor, unaque Doctor Theologus (quales omnes eſſe deceret Epiſcopos, ſi antiquitatis jura ſervarentur) in quatuor libros, ſecundum Petri Abaelardi methodum, Theologiam ex ſcripturis ſanctis, & Patribus, ac praeſertim Auguſtino deſumtam edidit, quod magnum illi praeclariſſimumque Magiſtri ſententiarum nomen comparavit. Non ea erat Petro mens, ut veterem eliminaret ſcholaſticam, cum illa veluti fundamento operis ſui uteretur; neque ut novam ab ea prorſus alienam induceret; ſed hoc unum ſibi propoſuit, quod & perfecit, nimirum aptiorem veteri Theologiae formam praebere, & ſtudioſorum ingenia certo quodam ordine moderari, cui inhaerentes non aberrarent in ſcientia Dogmatum, quae apud antiquos Patres obſcura erat, atque involuta.

Paullo ante Petrum Lombardum Hugo Victorinus idem opus conficiendum ſuſceperat; verum Hugone, atque Abaelardo ſapientior Petrus, vel felicior communi omnium conſenſu palmam retulit: plerique enim ſcho-

Digitized by Google

tudo ad meliorem uſque aetatem ſermone, ſcriptiſque uſurpata, ut Litterati quicumque eſſent, Clerici adpellarentur. Sed ibi quoque quam praepoſtere, quam inerter acceptae! cum argumento conſtet non uno, & Clericos bene multos, & Praesbyteros quoque, addo etiam, quod calamitoſiſſimum eſt, Epiſcopos aliquos ne ſcribendi quidem artem tenuiſſe.

In ea temporum conditione, qua in Europa damnatae ſunt litterae, non ſine praeſentiſſima Divini Numinis ope Carolus cognomento Magnus ſurrexit, qui litteris inſtaurandis curam, patrociniumque indulſit. Qua de re, illo rerum potiente, multae ſocietates litterariae cogi

ſcholaſtici ejus ſententias vel ſequi, vel commentari magna contentione adgreſſi ſunt, adeo ut ſacris exceptis Bibliis, nullus ſit fere liber majori, quam opera Lombardi, commentariorum numero illuſtratus. Ea ratione ſcholaſtica diſciplina, quae primo in quarundam ſententiarum ex ſcripturis, & Patribus ſelectarum compoſitione ſita erat, brevi Theologorum annotationibus magnopere excrevit, junctaque Dialetica & Metaphyſica Ariſtotelis, novam omnino formam induit.

Opus abſolvit D. Thomas Alberti Magni diſcipulus, atque quod alii tremula veluti manu adumbrarant, fortiter ipſe, ſtrenueque perfecit. Poſt multas diſputationes, annotationes, & ſcripta, doctiſſimus iſte ſcholaſticus *Summam* elucubrare coepit, quae omnium ejus Scriptorum Epitome, opus omnium perfectiſſimum eſt, & mira ingenii vi elaboratum, ſupra quam poſt invectum in ſcholas Ariſtotelem, viſum unquam fuerit.

Verum cum ea ſit infeliciſſima rerum omnium conditio, ut vix ad ſummum perductae, ſtatim relabantur, ſcholaſtica principio tam laudabilis in turpiſſimam cavillationem, ſcholarum chriſtianarum majeſtate prorſus indignam, turpiter abiit. Melchior Canus in opere aureo de locis Thologicis hocce infortunium miro prorſus modo conqueritur; neque vero dubitat dicere, *Cacodaemonis arte factum eſſe, ut ſcholaſtici Sacrae Scripturae, & Sanctis Patribus valedicentes, nec niſi vanas futileſque ſubtilitates, ex diſputandi prurigine ſubortas, inepte conſectantes contra Haereticos in arenam deſcenderint, non ancipiti gladio, quem tantopere commendat Apoſtolus, ſed puerilibus arundinum armis inſtructi*. Laudabilem quidem eſſe fatetur ad Theologiae expoſitionem uti philoſophia; verum illud religioſe cavendum monet, ne theologia undique Peripaterica humanae tantum rationi ſubnixa in ſcholas intrudatur. Nonnullos, eoſque non paucos eſſe pſeudo-ſcholaſticos ingenue fatendum; ſed & ſunt quamplures germani ſummaque laude digni, Petavius ſcilicet, Thomaſſinus, Contenſonius, Juvenin, Boucat, Tournely, Witaſſe, Serry, & alii, quibus detrahere non ſine maxima rationis injuria poteris. Hactenus de ortu, & fortuna theologiae ſcholaſticae:

cogi coeperunt; nimirum Pariſienſis, Toloſana, Oxonienſis, Ticinenſis, Bononienſis, Onobrugenſis; quibus dirigendis,erudiendiſque Divi Benedicti Monachos, quos illa aetas ſolos doctiores habebat, accivit.

Illud autem obſervatione dignum videtur, quod ſeculo decimo denuo inſcitiae tenebris offuſa Europa contabuit. Omnia enim luxata, turpia, pudenda: pauci ſcriptores eruditi; nulla Concilia memoratu digna. Unde infoelix, & obſcurum ſeculum decimum vulgo audit, fatente, ac dolente ipſo Baronio, qui ait: *Novum inchoatur ſeculum, quod ſui aſperitate, ac boni ſterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia ſcriptorum adpellari conſuevit obſcurum.*

Pariſienſis dumtaxat Academia Philoſophis, Theologiſque clariſſimis tunc temporis florebat. Ibi namque Anſelmum Laudunenſem, Guilielmum Campellenſem, Petrum Abaelardum, Gilbertum Porretanum, & Petrum Lombardum, antonomaſtice ſententiarum Magiſtrum, docuiſſe ſcimus.

Eodem ferme ſeculo, undecimo ſcilicet labente, Salerni Medicinae Collegium, & Neapoli Theologiae per Rogerium Regem inſtitutum validiſſimis momentis Franciſcus Vargas Macciucca Aeques Hieroſolymitanus ſingulari doctrina, nobilitateque clariſſimus in ſua adverſus praetenſa Mendicantium ordinum jura diſſertatione, pulchre, graphiceque oſtendit.

Jacta cum eſſent, Auditores praeſtantiſſimi, Collegii fundamenta,ingens in eo doctorum hominum copia, qui ſacras litteras ſanie, ſituque obſitas in bonam lucem vindicarunt. Quid enim non emolumenti viri illi Collegii noſtri lumina, fidei, morumque conſervationi contulerunt? Quid non fidei puritati, ne ab haereſi debacchante foedaretur praeſtiterunt? Quid non litteris hac in alma Neapolis urbe inſtaurandis, colendis, promovendiſque egerunt? ſed quid cetera in ordinis hujus laudem commemorem? Reges ipſi Rogerii ſucceſſores Ladislaus,

Fri-

Fridericus II. locupletiſſimi teſtes ſuis diplomatibus, indultiſque exiſtunt, queis ampliſſimis exornatum privilegiis Collegium voluere. Atque Alphonſus ad Collegii dignitatem augendam, addendaque acuta ad virtutem calcaria, Vicemagno Cancellario, quod munus primarium eſt, ſceptrum, coronamque cum libro aperto pro ſtemmate conceſſit, omneſque indiſcriminatim Cappellani, familiariſque Regis titulo gaudere juſſit. Neque ſolum Caeſares, Regeſque, verum Pontifices quoque, quaſi cum ipſis contendiſſe viſi in ornandis Academiae Doctoribus, dum inſignia ſunt ea elargiti, quibus modo videmur induti.

Nolo tandem Collegii fata narrando perſequi: unum reticere non licet, integra nimirum effluxiſſe ſecula, in quibus majorum gloriam cineribus obduxerunt laureati Doctores. Non ſane id accidit, quod magna viris illis ingenia defuerint; ſed quod vel illa ſolum litterarum ſtudia in pretio fuerint, in quibus obſtupeſcit ingenium; vel quod legibus deſuetudine abrogatis, illud priſtinum Collegii decus ſenſim ſine ſenſu occubuit.

Manſiſſet fortaſſis eodem fato Collegium, manſiſſentque eodem loco ſacrae, venerandaeque litterae, niſi excelſiores auctoritatis viri heroico auſu poſitos prava conſuetudine limites, perfringere decreviſſent. Magnum Regni Cancellarium Abellinatum Principem hic primum adpello, virum auctoritate, meritiſque vere magnum: Ille praeſtanti animi conſtantia priſtinam Collegii formam induxit: ille novam intulit lucem: ille viam praeivit, & munivit: ille exemplo oſtendit, ſuas promovente rationes Angelo Cavalcante virtute, nobilitateque Viro clariſſimo, ſibi quemlibet ex Collegio ad Vicemagni Cancellarii munus deberi jus deligendi. Marchionem Nicolaum Fraggianni ſecundo loco ponam, nullo unquam labore exhauriendum, ſagacitate lynceum, qui ad vindicandum ſervitute Collegium, ſuppetias ferre non deſtitit. Quid non denique laudis Sanctae Clarae Aula meretur, dum poſito litium fine, Collegium libertati reſtituit? Ei namque, quae jura legeſque pro Colle-

gii regimine condidit laus omnis exolvenda , ob id maxime , quod illam inter ceteras legem, de habendis ſemel in Menſe theologicis diſſertationibus , poni cogitavit ; quod certe ipſi ſolidam , ac perennem , nulliſque vicibus interituram gloriam pariet . Ita enim fiet , ut poſtliminio theologiae Collegium ad ſuum nitorem redeat . Quae quidem Academia Urbem hanc noſtram coelo , ſitu , deliciiſque Italiae ceteris praeſtantiorem , reliquis pariter beatiorem , feliciorem que reddet . Nec ſane Civitas ulla felix unquam erit , ſi eruditione , ſi artium inſignium , ac ſcientiarum lumine fuerit deſtituta .

Verum quid Academia Theologiae ſit ; quae curae; qui uſus dicendum ſupereſt . Denotamus eo nomine Collegium , quod diviſa inter plures , ſed communi conſilio agentes , opera , perficiendis , & adplicandis ad uſum ſacris ſcientiis ſeriam , conſtantemque curam impendit . Mirum ſane , quod mitiſſimi Dei , Optimi , Maximi pietate factum ; qui humani generis aerumnas , ac barbariem , ſub qua omnis plane marcebat orbis , miſertus , ad ſordes detergendas , illam indidit mentem , ut per Europam totam excitarentur Collegia . Quot enim Italia noſtra , ingeniorum ſublimium mater , & cultrix vel amoenis , & philologicis , vel ſeverioribus ſtudiis addictas jactat Academias ? Quid quod Neapolis ipſa noſtra alere , fovere , ac in dies augere Academias ſemper ſtuduit ? Memoratu dignas hic reor Spinellianam ſelectis vivis compoſitam , queis & aſſidue librorum , machinarumque copia praeſto eſt . Alteram Eccleſiaſticarum rerum , cui Eminentiſſimus Cardinalis Archiepiſcopus Spinelli Protector praeeſt in Aedibus Patrum Congregationis Oratorii . Mittam ceteras , quae privatis dumtaxat auſpiciis coluntur , ac foventur . Quae omnes Academiae communi agentes opera ſcientias excolunt . Longe autem majori jure Collegium noſtrum ſcientiis ſacris conſecratum , id pro munere exequi debet , cogiturque . Ipſi enim ſinguli nonniſi communi adnitentes conſilio ſacras ſcientias excolimus . Unus nam-

que omnibus non ſufficit ; & infinitus rerum ſcibilium cumulus, earumque diverſitas omnem opprimit conatum. *Poſcere id indiviſum hominis vulgaris ſtudium*, ait cl. Fontanellus, *ſi quis unam in univerſo ſuo ambitu philoſophiae diſciplinam adgredi auſit*. Quid de Theologia dicendum, cui partes ſunt innumerae, iiſque ſubſidia propemodum infinita e diverſiſſimarum rerum inquiſitione arceſſenda? Sic ſumus, & una illa humanae infirmitatis defectibus medela ſuccurrit, ut diviſis inter plures negotiis, quibus unus par nunquam fuiſſet, plures feliciter ſufficiant. Quae aliarum facultatum, eadem, & forte major Sanctarum Litterarum ratio, quae pro dignitate tractari non poterunt, niſi earum unam ſibi quiſque partem expendendam decernat, illudque ſumat onus, cui ferendo habiles prius humeros ſibi adeſſe tentaverit. Hinc Collegia publico bono excogitata, & ſubinde enata, ut plures omni ſemper tempore, & ad omnes quaecumque ſeſe res offerrent parati forteſque, qui promtum apponerent auxilium, adeſſent propugnatores. Major eſt in univerſis non ſolum, ſed etiam in ſingulis doctrinarum generibus rerum copia, quam ut iniri numerum liceat: Nec mortalium ullus paucis illis, quos vivere datur, annis vel unicam penitus exhauſerit diſciplinam. Nihil hic nimium loquor. Quod naturae opus aliquod microſcopio intuentibus, idem ſcientias inquirentibus accidit omnino. Objice viſui etiam acuto foliolum arbore decerptum, brevi temporis interſtitio videberis tibi omnia pervidiſſe: adhibe vulgare quodlibet microſcopium, videbis nova, & qualia non expectaſſes: ſubſtitue priori melius, eandemque ſaepius repete ſcenam, occurrent ſubinde plura non ante obſervata, quaeque non ſpem, ſed omnino fiduciam pariant; ſi melioribus uti vel oculis, vel engyſcopiis liceret, plura porro obtutui tuo nova ſeſe ſucceſſive exhibitura. Eadem prorſus ſcientias excolentibus, cum ſagacius fecundas, ulterioreſque ingeminant curas, eveniunt: prout enim objecta conſiderationi ſuae expo-

 ſita

Digitized by Google

ſita propius intuentur, & penitius, ita plura ſubinde pervident, & ſubtiliora; tantumque abeſt, ut vel ſperare liceat poſſe nos tandem ad omnium rerum terminos inveſtigando pertingere, ut in plurimis certum ſit, numquam induſtriae humanae deſuturum quod inveniat.

Falluntur profecto, & deſtinationum quandam pauperiem produnt, qui rerum fines illico, & faſtigia loquuntur, cum magnum aliquid, & difficile fieri feliciter conſpiciant. Non ego unquam hominum unum uſque eo laudaverim, ut quaecumque in ſcientiis inveniri poſſint, perfeciſſe illum dicam; at hoc modo dixerim, plurima illum tentaſſe, & cum multo plura ſuperſint, oſtendiſſe aliis qua ultra pergendum, & ut ſuis veſtigiis inſiſterent, providiſſe.

Ex his emergit, quod ſcientiae, ut feliciter in majus provehantur, duo omnino requirant, ſocietatem ſcilicet, diviſamque inter plures operam, & inſuper commune conſilium. Quod alibi proſpere in Europa factum ſcimus, hoc nobis imitandum eſt. Quid non incrementi phyſicis ſcientiis praeſtiterit Academia ſcientiarum in Gallia? Quid morali theologiae ſalmaticenſis in Hiſpania? Quid matheſi Londinenſis in Anglia? Quid denique philologiae Florentina in Italia? Nos autem etſi iis in ſcientiis occupamur, quas humano expendere ingenio non decet, cum aliis illae fontibus ſcateant; nihilo tamen ſecius illas excolere, probeque noſſe, ac neceſſarios in uſus advocare, nobis libere datum eſt. Perfici theologia jamdudum, & nunc etiam poſtulat. Quid enim ad mentem rectam efformandam; ad ingenium vera ſapientia imbuendum; quid ad divina myſteria intime penetranda, ad Dei leges, Fidei dogmata, univerſamque Evangelii aeticen, & Eccleſiae diſciplinam addiſcendam, tot tricae, tot ambages, tot cavillationes, immenſaque illa futilium, & inanium diſputationum turba, quae ingenia miſerrime torquent, & opprimunt? Equidem haud negaverim plures theologiae ſtudiis labores impendere,

qui magnam litteris, & Eccleſiae operam navant, ſuiſque lucubrationibus immortali gloria digniſſimis, multorum nugas compenſant: aſt non pauci inveniuntur, qui de divinitate altercando, quaeſtionibus vel omnino abſtractis, vel mere ſpeculativis, & hypotheticis, nihilque ad fidei dogmata, Religionemque ſpectantibus, argutantur. Ad haec quis jure non exclamaret: proh dolor! Quae tanta temporis jactura! Quae ingeniorum dira pernicies! Quae vana hominum occupatio! Nonne iſthaec penitus ignoraſſe longe melius foret, quam utcumque ſapere? Hinc enim exitium quoddam ortum eſt pulcherrimae facultatis, in qua potiſſimum excellere creduntur non qui graviſſima ad cognoſcendum, ſed qui ſubtiliſſima ad fallendum excogitant. Hinc otioſae diſputationes, quae mentem a ſanctorum Bibliorum doctrina, a Patrum dictis, Conciliorumque decretis longiſſime abducunt, & ſine nlla utilitate fatigant. Hinc pertinax, & inſanum partium ſtudium, quo fit, ut acerrime decertemus, cum minime oportet; idque viribus omnibus propugnemus, non quod veritati proxime accedit, ſed quod iis placet, quorum inſtitutum amplexi ſumus. Grave eſt, quod dico, Patres ornatiſſimi, grave eſt, & nihil reprehendendi cauſſa dico. Neque is ego ſum, qui nodum in ſcirpo quaeritem, aut novitatis prurigine tactus, vetuſtiores Theologos parvipendere audeam; ſed in iis juxta eruditiſſimorum virorum Melchioris Cani, Petaviique, atque illuminatae aetatis noſtrae clariorum hominum ſententiam, & rationem, moderandam methodum exoptarem.

Vobis itaque, Academici, quibus Theologia concredita; vobis, inquam, incumbit, eruditione theologiam ornare, & quicquid ſubſidii, quod ab exoticarum linguarum peritia ſuccreſcit, adnectere, & Chriſti veram Religionem in Acatholicos vindicare. Ad vos enim Petri monitum ſummo jure dirigitur, ut omni poſcenti de ea, quae eſt in nobis, ſpe rationem reddatur. Ad vos, qui hujus ſacrae facultatis Doctores eſtis, veluti ad ly-

dium

dium lapidem Regni noſtri fides revocanda. Vos denique decet eam a latrantium Deiſtarum, Indifferentiumque turba tueri, ac omnium primi proprium ad uſum Theologiam addicere, ad ejuſque praecepta vitam, moreſque inſtituere. Ceterarum profeſſores artium ſi in vitio ſint, ſibi nocent, aliis vero vel nihil prorſus, vel parum: at Theologus ſi pravus ſit, animum laedit, quae pars una eſt in homine excellentiſſima, Religionem, pietatem, Dei cultum non a ſe uno diſtrahit, non a ſingulis hominibus eximit, ſed a Civitatibus, & Provinciis evellit, ejicit, exturbat. Hinc ſeditiones per omnem aetatem conſequutae, bella civilia, caedes, incendia, rerum publicarum mutationes, & ſi quid calamitoſius humanae ſocietati contingere poteſt. Teſtis mihi Germania ſit, Helvetia, Gallia ipſa, quae quamvis ad hanc diem ſingulari providentia ab Haereticorum inſidiis fuerit erepta; identidem tamen a ſuis Theologis multo graviora, quam ab externis hoſtibus paſſa eſt. Quae cum ita ſint, intelligere dignemini, Auditores, non me theologis rem utilem commendare, ſed plane neceſſariam, ut ſi nolint innocenter, integreque vivere, theologiae lauream omnino abjiciant.

Ad vos demum, Academici, quibus nihil eſſe debet charius iſta, quam profitemini, facultate, quae vera ſapientia eſt, animorumque dominatrix, mea convertitur oratio. Itaque ſi qua pietas, ſi qua indoles generoſa, ſi quis amor publicae ſalutis, atque incolumitatis, date imbuendum his litteris, quibus itur ad apicem ſapientiae: date Majoribus veſtris, qui vobis praeluxerunt ad maxima. Poſcit hoc fides catholica: Poſcit hoc Patria, fortunis, ac vita potior: Poſcit hic conſeſſus, auguſtuſque Senatus a Regibus inſtitutus, ut Italiam omnem, ut hanc Urbem a ſectarum pernicie liberam, tutamque ſervetis, ut ignem hoſtilem, ut ferrum, ut caedes a vobis, a Templis, ac delubris, monumentiſque majorum arceatis.

At

At quo longius, quam decebat, aberravit oratio noſtra, cum in laudibus potius, & gratiis noſtrae Academiae Statori exolvendis immoratura erat? Etenim ſi praecipua, ſi maxima eſt omnes inter ſcientias Theologia; maximae profecto laudes Carolo Regi noſtro, hujus Academiae, quae tam inſignem facultatem profitetur, auctori debentur. Carolus Rex noſter Academiae Protector ac Princeps! quam hoc dulce ſonat. Dulce vobis neapolitanae gentis Proceres! Dulce nobis amiciſſimi Collegae! Dulce juventuti, & poſteris! Dulce litteris.

Quid dico? Caroli Protectoris nomen, virtutum epitome, quis ſine admiratione audit? quis enunciat ſine deliciis? quis illum animi omnia complectentis ambitum? quis illam conſilii omnia proſpicientis vim? quis ipſam auctoritatis omnia perficientis dignitatem? quis agendi dexteritatem? quis felicitatem ſucceſſuum poteſt ſine pio in auguſtum Regem affectu cogitare?

Equidem, Auditores optimi, non id mihi datum intelligo, ut quando pietatem Academiae in Statorem ſuum oſtendere, & in illius virtutes intueri audeo, enumeratis Regis ipſius animi factis, elogium vitae condere adgrediar. Plurima ſunt, quae illud mihi inſtitutum diſſuadent. Omnia enarrare ſalutariter, magnifice, & feliciter geſta hominis non eſt praeſertim rudis, & in dicendo parum exercitati. Scio, neminem poſſe eloquio ſuo ad facti dignitatem accedere. Erunt aliquando tamen et ex noſtris aliqui, qui minus illam laudando obſcurent.

Hinc pauciſſima attingam, neque eo illa modo, quo fieri paſſim ſolet. Renuncio artibus Rhetorum microſcopicis, & colores objecto alienos ſaepe inducentibus. Renuncio licentiae, qua laudari etiam Principes aliquando ſolent, dicendo non quales ſint, ſed quales eſſe debuerint, ut Xenophon in Cyro. Contemno artificiola, quibus comparari alteris minutioribus ſolet Orationis panegyricae Heros, ut additis aliorum umbris, ſubobſcura

etiam

etiam ipſius geſta reddantur illuſtriora. Poſſet, fateor; & ſine aliorum injuria, Carolus Rex noſter praecipuis antiqui temporis Heroibus ſecum collatis omnino anteferri: magnificentius aut illud eſt, poſſe nulla aliorum ratione habita, ſola geſtorum ſuorum mentione facta, celebrari.

Quid igitur Auditores, quid, remotis iſtis, dici tandem debeat? Habemus Regem, quibuſcumque illum modis intueare, magnum. Oportet Regem eſſe & Carolo ſimilem, ſi quis animo concipere concentum illum velit, quo diverſiſſimae imperandi artes in eo conſpirant. Oportet noſſe, quibus illae modis acquiſitae, auctae, & perfectae ſint, ſi quis intelligere illarum dignitatem velit. Oportet ſumma conſiliorum prudentia, experentia ratiociniis parta, & difficultatibus exercita polleat; interfueritque conſiliis, mediis, ac ſucceſſibus, quicunque juſtum in deliberando Caroli ſagacitati pretium ſtatuere velit. Senatorum Regni, & Senatorii Ordinis virorum haec gloria eſt, quod tanta ipſi prudentiae ſuae ſpecimina ſereniſſimo Regi adprobaverint, ut ad audienda viciſſim, & penſitanda ipſius conſilia ſelecti, & admiſſi ſint. Oportet denique magnum belli Ducem de geſtorum ſerie plenius eſſe inſtructum, ſi quis bellicam Caroli fortitudinem, animum, prudentiam, labores, Solertiam obtutui ſiſtere ſuo velit.

Id veſtrum eſt excelſi animi probatae virtutis, & immortalis gloriae Viri milites Duces, Caroli Regis Legati. Veſtrum eſt ſtatuere, quis in Cives amor ad optandum, quae induſtria ad dicendum, quae prudentia ad legitime incipiendum, quae auctoritas ad provehendum, quae ad docendum dexteritas, quae felicitas ad perficiendum illud pertineat, quod Carolus Auctor, vobis adminiſtris, per gentem neapolitanam praeſtitit, extenſis maritima commoditate, per omnem terrarum orbem commerciis.

Solonem celeberrimum Atticae Civitatis Legislatorem

rem accepimus, quaeſitum, an optimas Civibus ſuis leges dediſſet? Optimas reſpondiſſe, ex iis, quas illi accepturi fuiſſent. Magnifica haec legum laus eſt, ſed limitata tamen; quaeque arguit, aut Legislatorem, etſi prudentem imperio, aut populum fide deſtitutum eſſe. Dicite vos juſtitiae arbitri, (namque hoc veſtrum eſt non advenae) dicite quantum hic infra Caroli factum Solonis prudentia, & auctoritas ſubſtiterint, quantum neapolitanae gentis, & obſequioſitas, & nata inde felicitas atticam illam ſuperaverint.

Expone conſilii ſtatus excellentiſſima Synodus quae Caroli Regis circa ſacra etiam negotia prudens adtentio? Quod in promovendas ſanctiores litteras ſtudium? Quis pro ſcholis publicis ſub omnigenae eruditionis viri Archiepiſcopi Theſſalonicenſis Regii Sacelli Praeſulis cura, erigendis, inſtaurandiſque ardor? Quae animi regii in parandis pro bono publico bibliothecis, aedificiis ampliandis, Profeſſoribus deligendis ſollicitudo?

Non dicam plura Auditores; proveherer in altum mare, ſi aut haec diffuſius ediſſerere, aut infinita, quae ſuperſunt, alia, vel ſtrictim adjungere conarer. Igitur me, unde ſum egreſſus, recipiam. Habet Academia noſtra, quo celebris & felix prae ceteris exultet, habet, inquam, Carolum Regem Statorem, & Protectorem; habet ut Pariſienſis, & Taurinenſis, quem colere, & venerari poſſit. Illud ad praefatis Academiis invidiam creandam ſupereſt, ut Rex noſter Collegii amantiſſimus Reſtaurator, ea Doctoribus, & Magiſtris, Decano, & Vicemagno Cancellario privilegia confirmet, habeatque rata, quae deceſſores Reges pro Urbis, Regnique bono benigno animo indulſerunt.

Non morabor vos ultra, Auditores optimi, dum enarratis in Europa noſtrum ad uſque Collegium litterarum fatis, Academiae hujus Theologiae indole expenſa, ejuſdemque Auctorum gloria indicata, fidem jam liberaſſe arbitror, votis, & precibus abſolvenda eſt Oratio.

tio. Deus bonorum omnium auctor, & dator, qui cum unigenito Filio, & Spiritu Sancto Trinus, ſapientia vero, bonitate, voluntate, atque omnipotentia unus es, & indiviſus, qui omnem doctrinam, omnemque ſcientiam humanis mentibus immiſiſti: Te, ego, Deus omnium noſtrum votis oro, obteſtorque, ut quandiu homines vis in hoc mundo vivere, tandiu inter eoſdem ſapientiae, & doctrinae ſtudia tuearis, ac ſerves. Redde Pater Regno noſtro quae merentibus ita peccatis noſtris, diu illi bona denegaſti, ac reducto in vaginam infeſto irae tuae gladio, pacem, qua nunc laetamur, adauge, ſimulque tanto muneri diuturnitatem adjunge. Serva Carolum Regem noſtrum, cujus auſpiciis haec Academia eſt inſtituta. Serva Reginam noſtram Mariam Amaliam, cum Sereniſſima Infantium familia, cui adjice annos uſque in diem generationis, & generationis. Denique Collegium quoque noſtrum, cujus poſt tot damna, & naufragia tabulas colligere coepimus, reſpice clementiore oculo. Liceat nobis, qui in hoc theologico ordine excubamus pro ſalute publica, quique tam Sancto muneri ſeſe impoſterum dicabunt, ſub alis tuis tranquille degere, litteraſque bonorum omnium praeſidium, promovere. Imple etiam ſpiritu tuo omnium noſtrum animos, ut relictis hujus mundi inanitatibus, tibi ſoli vivamus, & ad nominis tui gloriam, Reique publicae emolumentum, omne ſtudium noſtrum, omneſque denique conatus noſtros unice dirigere clementer largire.

Dicebam.

MAG 203412